

D E

SEQVELA VENATORIA

V V L G O

I A G D F O L G E

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

S V M M A E I N V T R O Q V E I V R E D I G N I T A T I S

C O N S E Q V E N D A E C A V S A

A. D. XII. M A R T. M D C C L X X X I X

D I S S E R I T

A V C T O R

I O. A N D R E A S N I E P E R

L V N E B V R G E N S I S.

G O T T I N G A E,

T Y P I S I O. C H R I S T. D I E T E R I C H.

1789,3

12

DE
АЛАНГИА
АЛЕВОЗ

УЧРДО

ИГДОЛГЕ

ИХАСТРАДОЛРУАН ОРДИС

АДОБРИТАН

ИХАСТРАДОЛРУАН ДИОДАЛГЕ

КОМЕДИЯ ВЪ СЪЛЯ

СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ

СЪЛЯ СЪЛЯ

СЪЛЯ СЪЛЯ

ИХАСТРАДОЛРУАН АЛАНГИА

СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ

СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ

СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ

СЪЛЯ СЪЛЯ СЪЛЯ

ADOLPHIUS PRIMITIVS

PARENTI OPTVM O
MOMVS FII GRATIGE AVNI TRES TES

IOANNI WILHELMO NIEPER

VTRIVSQUE IVRIS DOCTORI

HAS QVALESCVNQVE ACADEMICORVM
STVDIORVM PRIMITIAS
AMORIS PII GRATIQLV ANIMI TESTES
SACRAS ESSE IVBET

JOANNI WILHELI
NIEPER

ATRIVS CATE IVBIS DOCTORI
D. D. D.

FILIUS OBEDIENTISSIMVS
IO. ANDREAS NIEPER.

M

TES

DI

sequela venatoria
et bracca, de munuscepto oculaturus qui omidit, cunctum
instat, hodie, si non communis, alij ex eiusdem non nullum
est, sitque etiam seditione, quod a sagittario, inservientem
miseris, ab aliis translatum, illa inservientibus, nihil ad hoc
dum sensim hacten rursum, et hoc non sensim, dum sensim
D E

SEQUELA VENATORIA

VVLGO

IAGDFOLGE.

S. utri.

Prooemium, rationem instituti et Scriptores complectens.

Inter ea iura, quae in foris nostris Germaniae, magnas
easque infinitas fere lites excitant, certe et illud ius
pertinere censeo, quod iuri venandi affine est, et sub no-
mine sequelae venatoriae venire solet. Vix enim unus et
alter, qui gaudet iure venandi, gloriari tuto potest, se
quod ad sequelam venatoriam cum confinibus suis, germanice
Grenz-Nachbaren, amice conspirare, et absque villa lite
cum illis degere; hoc rei venatoriae aequus aestimator in-
ficias ire facile non poterit. Cuius rei rationem vnicce in
eo ponendam esse credo, quod nonnulli, ceteroquin magni
nominis *ICti*, verum huius iuris fundamentum non satis

A

Cabala, utrum in iure sequelae vel in iure venatoriae in DFG perspe-

perspexisse, et ius romanum, quod tamen in Germania commune, et hinc in casu dubio sequendum est, quoad hunc passum non recte intellexisse videantur, quid? quod totam controverson ex legibus Provincialibus, obseruantia et consuetudine, decidendam esse, in illarum defectu autem sequelam plane non competere, statuere haud dubitauerint. Quae cum ita sint, et cum summos in utroque iure honores mihi ambienti, speciminiis publice edendi officium incumberet, argumentum etiam de persecutione ferarum nondum ita exhaustum deprehenderem, ut nulia plane ulterior discussio ab aequo rei venatoriae aestimatore desideretur, dicti argumenti tractandi explicandique confilium cepi. Quo facto et idem illud mihi accidisse lubenter fateor, quod plerisque in rebus humanis accidere solet. Ea videlicet iura, quae prae ceteris cuique curiae cordique sunt, pro viribus defendere satagit.

Quod scripta attinet, quibus idem argumentum, signatim, et data opera ^{a)} tractatur, vniuersum tantum

mihi haetenus innotuit, nempe Ioh. HARTMVTH RAYS

diff. de Ferarum Persecutione in territorio alieno,

vulgo Jagdsfolge, Giessae 1748. Qui scriptor tamen ad

illos ICtos mihi pertinere videtur, quos LEYSERV^{b)}

assentatores vocat. Principi enim intra territof unius

suum ius sequelae indistincte competere afferit, aliis

autem in aliis locis certius, sed breviter, hoc bono

et utili supradictis scriptis conquiritur.

^{a)} Nam ii scriptores, qui vel generatim de re venatoria iustis commen-

tariis egerunt, et questionem propositam in transitu quasi tangunt,

vel in decisione quadam, omisis rationibus prolixis, de ea tantum

tractant, non sunt huius loci.

^{b)} In Diff. de Assentatione ICtorum, in Tom. XIII. Medd. ad Pandect.

e contrario non aliter, nisi lege prouinciali, consuetudine, pacto, privilegio, praescriptione illud competere doceri possit. Quia in re tamen me consentientem non habet, propterea, quod haec assertio in perantiqua illa hypothesi nitatur, quod scilicet venatio sua natura sit *regale*, et quod, constitutis ciuitatibus, dominium ferarum priuatiue sit penes Imperantem. Ait nempe citatus auctor in diff. citata §. 5. „ab initio feraræ bestiæ fuerunt res nullius adeoque a quoouis occupari potuerunt, id ipsum tamen constitutis ciuitatibus mutatum, et dominium ferarum sue venatio iubente etiam ipso iure naturæ nonnisi imperantibus et iis quibus expressa vel tacita eorum voluntate est indulta competit.“ — Est sane haec Philosophia TITII c) aliorumque, quam probat quoque HORNIUS d), quae tamen a nouioribus ICtis e) cordatis, dicto Chrysostomi caus. XI. qu. 3. Can. 86. quasi excitatis, iam dudum impugnata, et argumentis gravissimis ita destructa est, vt vltior eius discussio iam nunc inutilis videatur. Sed positis etiam hisce principiis pro veris, quae in nonnullis Germaniae territoriis regnare scio; tamen illationem exinde factam negandam esse credo. Ex infra nempe dicendis

c) In iure Priuato Romano-Germ. Libr. VIII. cap. 14. §. 5.

d) In iure Publ. cap. 60. §. 18.

e) Conf. BILDREICK in der gründlichen Deduction gegen die vermeintliche Regalität der Jagden. Celle 1723 und 1741 in fol. D. G. STRYBEN in Vindiciis juris ven. nobilitatis germ. Hildesiae 1739, et in eiusdem Nebenstunden P. I. nr. 2. pag. 182 seqq. et P. 2. nr. 2. pag. 584.

dis apparebit, ius sequelae annexum et naturale iuris venandi constituere, quod in dubio adesse prae sumitur. Si igitur ponimus ius venandi ceu *Principale* legitime acquisitum, ius sequelae ceu *minus Principale* et annexum simul competit necesse est, sine respectu vtrum venatio in territorio sit regale nec ne.

§. 2.

Notio sequelae venatoriae.

Sequela venatoria, germ. *Iagdfolge*, est vocabulum quod in sensu *proprio* et *improprio* sumitur. In significatu *improprio* est ius a subditis exigendi operas, quae ad exercitium venationis necessario requiruntur. In multis nempe locis Germaniae moribus receptum est, vt subditi venationis causa enocari et operas venatoria, tam iumentis, quam corpore praestare teneantur, quas operas nonnulli rectius vocant *Iagddienste*, et quarum naturam late describit AHASV. FRITSCHIVS f). Quem significatum tamen meum iam non facio. In sensu *proprio* sequela venatoria denotat 1) ipsum actum quo quis feram persequitur et quidem sine discrimine vtrum id fiat in fundo proprio an in alieno. Sed hic est sensus

gram-

f) In Tract. de iure lustrationis et sequelae cap. 9. — in eiusdem opus. Tom. I. pag. 212. Hocce tamen ius sequelae ven. in sensu *improprio* confundi non debet cum iure sequelae in genere, quippe quod est ius Principis exigendi a subditis seruitia ad ea quae salus et securitas publica postulant. C. Cinelion illud Iuridicum Göttingense, *Virum perillustrem* G. L. BOEHMERVM in diss. de Centena sublimi, cap. 3. §. 49.

grammaticus, nec ad me iam pertinet. Deinde 2) sumitur
fabie*tiue* pro iure, h. e. pro facultate morali aliquid agendi;
et in hoc significatu est *ius virtute iuris venandi competens*, fe-
ram in nostro fundo excitatione et vulneratione aliae ratione oc-
cupari coeptam, eamque in alterius fundum fugientem, propria
auctoritate persequendi, eamque ibi deprehensam nostram faciendi;
germanice *Nacheile*, *Nachsetzung*, *Wildfolge*, *Nachfolge*, *Jagd-
folge* g). Et hunc significatum pro modo virium mearum
meum iam facio. Quia autem dictum ius non solum secun-
dum principia iuris naturae, sed et secundum ius positivum
romanum et hodiernum considerari potest, e re mihi videtur
pro hac partitione rem ipsam tractare.

S. 3.

Continuatio.

Naturam et indolem iuris sequelae venatoriae, de quo
differere iam animus est, breuiter ita complector. Pono in
eo ius venandi, vt conditionem sine qua exerceri plane
non potest, illudque tanquam effectum, annexum, et na-
turale iuris venandi considerandum esse arbitror, adeoque
de morte iure venandi, nec persecutionem ferae vulneratae
cuicunque competit posse statuo. Cum igitur tam iure na-
turae, quam iure ciuili romano, cuilibet venatio pateat, quem-
libet etiam ius sequelae etenim exercere posse oportet. E

A 3

contra-

g) Cf. SECKENDORF im *Fürsten-Staat*, Part. 3. cap. 3. reg. 5.
§. 6. — et Iod. BECK in tract. de iure foreali cap. 13. §. 4. Ridicu-
lculam derivationem vocabuli *Jagdfolge* a vocibus graecis ἄγειν et
ἀλησος defendit RAYS l. c. §. 2.

contrario rūstici hodierni ^{h)} aliquie iure venandi generatim destituti, hocce ius legitime exercere non possunt. Hi enim, dum venatum exeunt, illicite agunt, et factum illicitum agenti ius aliquod tribuere non potest. Idem illud iudicium ferendum esse reor de his, quibus facultas venandi non quidem generatim deest, sed tantum secundum quid, hoc est, qui tantum certas et determinatas ferarum species, v. c. lepores et vulpes, neutiquam cervos et capreas venari possunt; quippe qui, si speciem ferarum ipsis interdictam venantur, atque vulnerant, nec iure sequelae gaudere possunt. Ex his tamen statim non est inferendum, exercitium venationis aliter competere non posse, nisi iuncta sequela venatoria. Constituit enim naturale iuris venandi, quod adesse praesumitur; naturalibus autem rei, salua eius existentia licet derogare. Hinc et legibus Prouincialibus, obseruantis et pacis specialibus huic iuri derogatum passim videamus, saluo iure venandi ⁱ⁾. Constitit porro vis et potestas huius iuris, in solo iure, feras in nostro fundo occupari coeptas, et in alienum fundum se conferentes, peruestigandi. Hinc toto coelo differt ab ipso iure venandi et conuenandi, *Koppeljagd*, quippe quod ius facultatem tribuit, feras etiam illas, quae ex nostro fundo non aufugerunt, in alieno latitantes inuestigare et vulneratione aliisque mediis licitis occupare

^{h)} Vide tamen GRIEBNERI opuscula iur. publ. Tom. I. sect. 4. §. 2. STRVMPF in Chron. Lib. IX. t. 17. 18. et. 19. — Dantur nempe regiones, in quibus rūstica hodierni ius venandi speciatim acquisitum est. Quo etiam referri merentur die Einwohner des Lüneburgischen Amtes Ilten. Vid. STRVBEN de iure villie, cap. 3. et STISSER in der Forst- und Jagdgeschichte der Teufischen, cap. 3. pag. 61.

ⁱ⁾ Cf. BURGER in Oec. iur., Lib. 2. Tit. 2. §. 8.

cupare *k*). Tribuit praeterea ius, de quo mihi sermo est, facultatem, fundum alienum, id est tales ingrediendi, in quo ius venandi non competit, ibique occupationis cooptae finiendae causa, actum aliquem suscipiendi, in quo alias, inuitu domino venationis, nil valide suscipi potest. Quod ius cum nobis confit, respectu fundi alterius citra respectum ad personam possessoris, recte ad species seruitutum adeoque ad *iura in re* ab interpretibus refertur *l*). Possessor enim fundi, quisquis ille sit, pati tenetur, ut bestiam vulneratam et in vicinum fundum fugientem propria auctoritate persequeatur, illamque ibi deprehensam meam iam faciam. Iam vero expediti juris est, toties seruitutem adesse, quoties vicinus, qua dominus fundi, in re sua ad patientium vel ad non faciendum iure obstringitur *m*). Cum tamen seruitus generatim accepta, non intelligatur, sine iusta illius causa efficiente, operae pretium erit, et ordo rei id postulare videtur, ut iam disquiram, *h* unde hoc ius descendat.

S. 4.

*k) Cf. ANDR. HOMBORG Dist. de iure conuenandi, germ. Koppeljagd.
Helmst. 1710.*

*l) L. 15. pr. et §. 1. D. de serv. Mihi tamen sermo tantum est de regula. Nam si supponimus legem provincialem, qua ius sequelae ex iure communis competens, huius uitandarum causa penitus sublatum, et expressie caustum est, ut nemo sibi illud afferat, nisi qui priuilegio, conventione et praescriptione id sibi acquisitum esse docere posset; tum ius, de quo loquimur, etiam seu *personale* cogitari potest. v. c. si conceditur ad dies vitae seu per modum precati. — Ex infra nempe dicendis patebit, dispositionem iuris naturae, qua primario fundatur ius sequelae, esse mere permissuum, cui abusus uitandi causa, cum ingressus in fundum alterius saepius fiat venationis clanculariae exercendae, non sequelae causa, per leges positivas vtique derogari potest.*

S. 4. *etiam quod in iure naturae*

Vnde hoc ius descendat.

Si ius sequaele venatoriae ex suo initio et fundamento aestimas, illud principaliter *posito facto inchoatiuo occupationis*, ex lege naturali descendere mihi quidem videatur. Quam dispositionem iuris naturae deinceps legibus positius, tam communibus, quam provincialibus, agnitam atque confirmatam deprehendimus. Scilicet ex principiis iuris naturae, ferae bestiae, quoad homines in communione vivunt, nec agros et praedia dominio singulorum adscribunt, sunt res communes et nullius, adeoque occupantibus cedunt; et eatenus singulis hominibus a natura aequale ius datum est, ita, ut par sit omnium conditio. Quam primum autem unus illorum factum aliquod suscipit, quo occupationem rei cuiusdam tantum inchoat, quale in animalibus feris tam quadrupedibus quam volucribus est factum vulnerationis (*das Anschießen*), reliquos omnes respectu huius individui praeuenit atque excludit. Feram bestiam ipsam quidem per ejusmodi factum inchoatiuum nondum plene acquisiuit, hoc iis qui contra ea disputant, quae docet GVNDLINGIVS ^{m)} lubenter concedo. Nam hocce principio posito, quod videlicet per factum, quod tantum inchoatiuum occupationis est, animal ipsum iam sit acquisitum, fundamentum sequelae esset in aprico, id quod tamen asserere non audeo. Fera enim bestia, sola vulneratione, in talen statum redacta non est, in quo libere de ea disponi possit ⁿ⁾, id quod

^{m)} In iure naturae, cap. 20. §. 14. pag. 183.

ⁿ⁾ Cf. HÖPFNER im *Naturrecht*, §. 49. — Adprehensio actualis non requiritur, quamvis id putet KÜHLER in iure naturae, §. 1513.

quod tamen ad plenam occupationem necessario requiritur; attamen ius aliquod nouum, quod reliquorum hominum iure fortius est, in re occupanda factio suo iam nactum esse censeo, vi cuius occupationem illius in quaecunque locum continuare, eamque penitus finire possit, adeo ut nec tertius acquirere volentem impedire queat o), si is intelligat, alterum, animal occupari coeptum, adhuc persequi. Nec analogiae haecce philosophia repugnat. Dantur enim plures casus tam in iure nostro quam in reliqua vita, in quibus in concursu plurium, qui pari ratione unum idemque ius exercere possunt, is tantum praefertur, qui prior est tempore, id est, qui prius factio suo inchoatiuo, tanquam medio finis alicuius obtinendi, animum suum sufficienter declarauit, de iure competente exercendo. Quae cum ita sint, factum inchoatiuum occupationis, quod quasi praeventionem iuris circa rem nullius competentis inuoluit, statuente id lege naturali, *causam* sequelae venatoriae seu *titulum* illius constituere, mihi quidem videtur.

§ 5.

An facies rei mutata sit inuentis praediorum dominii.

Quae causa iuris sequelae, nec inuentis postea praediorum dominiis, inefficax atque inanis reddita dici potest; quinimo tantam vim illius esse credo, ut 1). nec dominus praedii,

o) Cf. GUNDLINGIVS l. c. pag. 183.

praedii, in quod animal ferum, et occupari iam coeptum, se contulit, illud praecoopare, nec 2) ingressum alterius, in fundum acquisitum, sequelae causa, prohibere queat. Quod ad utramque assertionem, interpres juris naturae, valde inter se dissentientes deprehendimus. Sed si dendum quod res est, sententiam negantum, tanquam veriorem, et principiis iuris naturae magis conuenientem, amplectandam esse censeo. Quoad enim *primum* membrum assertionis meae, id expediti iuris esse videtur, dominum praedii, per illius acquisitionem, dominium ipsum in animalia fera ibi latentia non simul acquirere, quamvis permulti id sibi falso persuadeant p); sed tantum ius aliquod proprium per acquisitionem fundi in illa nancisci, vi cuius ea, ad initia rei iacentis, solus occupare, et omnes reliquos

p) Quo potissimum pertinet THOMASIVS in iurisprud. diuina, lib. 2. cap. 10. §. 136 — 156. quem etiam LEYSERVUS sequitur, in medd. ad ff. fp. 440. med. 2., quippe qui feras bestias pro rebus accessoriis, et pertinentiis fundi habent, atque idem illud dominium quod glebas terrae, arbores, frutices, lapides afficiat, etiam feras afficere statunt. Hocce tamen dominium tandem tantum durare tradunt, quounque ferae in fundo permaneant; si ex fundo abeant, illud in aliud transferri putant. Sed vt in horum tantorum virorum causa transeat, a me hucunque impetrare non potui. Concedo quidem, feras bestias fundi accessiones esse, sed nego illas vna cum acquisitione fundi esse acquistas. Deest enim 1) sufficiens declaratio voluntatis tam expressa quam tacita, de iis habendis; deest 2) facultas de iis pro lubitu disponendi. HÜPFNER in *Naturerecht* § 54. Ceterum si nonnullis haec philosophia THOMASIANA de domino ferarum, rationibus adductis non obstantibus, verior videatur, illa saltim de duratione et mutatione huius dominii falsa esse debet. Id enim, quod semel acquisitione nostrum factum est, nobis inuitis alterius fieri nequit. Vid. HYBER in *Digression.*, Part. I. Lib. 4. cap. 20.

reliquos ab illorum acquisitione excludere potest q). Quod ius tamen proprium, domino fundi in animalia fera latentia competens, ea tantum animalia respicit, quae sua sponte et vltro in illo degunt, neutquam vero illa, in quaе alius per factum suum ius aliquod iam acquisuit, modo ponamus, eum, qui occupationem facto iam inchoauit, sua sponte ab eo non iterum desistere; tunc enim dominus fundi ius suum proprium exercere non prohibetur, quoad vero alter feram persequitur in exercitio iuris illum turbare non potest. Ius enim occupationem coeptam finire volentis antiquius est iure domini venationis; in concursu autem duorum iurium eiusdem generis antiquius tanquam fortius praferendum esse, omnes fatentur r). Qua assertione admissa, non est, vt medium sententiam sequamur, qualem sequitur SEBAST. MEDICES s), quippe qui bestiam vultieratam, et postea occupatam, inter vulnerantem et dominum fundi diuidendam esse statuit. Quod alterum membrum assertionis meae attinet, an scilicet dominus fundi ingredienti sequelae causa resistere, et ingressum prohibere possit? Fateor, rem, si ex iure naturae illam aetimas, ad collisionem iurum peruenisse. Is enim, qui occupationem interueniente facto suo iam inchoauit, ius aliquod in individuum ferae bestiae acquisuit, et dominus fundi pati non tenetur, vt in suo fundo contra ipsius voluntatem

B 2

luntatem

g) Vld. S. L. C. disquisitio furtuue venationis, in praef. Norimb. 1767.

r) RAYS in Diff. cit. §. 21. et Jod. Beck de iurisdictione forestali, cap. 13. §. 4. SCHNEIDER de iure præv. circa venat. §. 18.

s) In tract. de Venatione, Part. II. quaest. 18. apud AHASVER. FRITSCH in corp. iur. ven. pag. I.

luntatem aliquid fiat. Sed etiam in hoc conflictu iurium, re penitus inspecta, ius occupationem finire volentis potius esse statuo, quam ius domini fundi. Dominus enim fundi ingressum alterius tum quidem prohibere potest, cum is fiat animo, aliquid respectu rei ibi sitae, suscipiendo, in quam ingredienti haec tenus vel plane nullum ius, vel saltim debilius iure domini fundi competit, v. c. si ingressus fiat venationis exercendae causa; hoc enim in casu ius domini fundi in feras bestias ibi latitantes fortius est, quam ius ingredientis; neutrumquam vero ingredienti resistere posse credo, si is ea intentione ingrediatur, ut ex fundo rem repeatat in quam iam ante ingressum legitimo modo ius aliquod sibi acquisiuit. Et haec videatur esse philosophia ipsius PFENDORFII ^{t)}. Quibus rebus ita comparatis, sequelam venatoriam, seruitutem lege naturali, posito facto inchoatiuo, impositam, recte dixeris. Quilibet enim dominus praedii, quod soli est, in suo aliquid pati et non facere tenetur, vi legis naturalis. Et hinc etiam sequelam, seruitutem reciprocam esse, iure statuere possum, quod tamen plerique negant ^{u)}.

S. 6.

Quomodo factum inchoatiuum comparatum esse debeat.

Dixi, §. 4, factum inchoatiuum occupationis, statuente id lege naturali, causam et titulum sequelae venatoriae constituere.

^{t)} In obs. Tom. 3. obs. 192.

^{u)} RAYS I. c. §. 27. Vide etiam sententiam Senatus Imp. avlici wegen der Jagdfolge in causa Stollberg contra Hessen-Darmstadt, sub dato 6. Aug. 1717. in Tom. V. Der Reichshofraths concl. pag. 592.

stituere. Sed quia factum inchoatiuum varie cogitari potest, iam quaeritur, quomodo illud comparatum esse debeat, si ius aliquod efficax in rem occupandam operari debeat? Evidem crediderim sequens principium cognoscendi, rem, si non totam, tamen quoad maximam partem confidere. Si scilicet individuum ferae bestiae, post factum inchoatiuum aequae difficile existit ad capiendum, quam aliud eiusdem generis, tunc factum inchoatiuum insufficiens est, nec ius aliquod efficax in illud operari potest. — Quod si vero illud, post factum inchoatiuum, facilius existit ad capiendum, quam aliud eiusdem generis; tunc sufficiens est factum, quod ius efficax ideoque ius sequelae, fundare potest. Ex hoc principio posito sequitur, solam excitationem non sufficere, et hinc feram a me excitatam ab alio capi posse, non est dubitandum; id quod etiam probatur trito illo proverbio, cuius mentionem iniiciunt scriptores tam classici quam alii: *aliis leporem excitasti v.* Attamen si animal ferum, a canibus meis venatoriis excitatum, et aliquot horas iam exagitatum, tandem se consert in fundum vicinum, in quo ius venandi mihi non competit, ibique prae lassitudine vel cadit, et sic a canibus capitur, vel ab iis saltim adlatur (*die Hunde verbellen das Wild*); tunc vtique contrarium statuendum est, et sequela venatoria competere videatur *w*). Sed an vulneratio sufficiat, noua quaestio est. Si Doclores iuris nat, qui solam vulnerationem, ad plenariam et absolutam ferae bestiae occupationem sufficere statuunt,

B 3

et

v) Cf. GROTIUS in iure B. et P., Lib. 2. cap. 8. §. 3.

w) Cf. die Mecklenburgischen Landes-Reversalien, quorum meminit LEXSER sp. 441. med. II.

et sententiam I^{CTI} TREBATII ^{x)} sequuntur, ad hanc questionem affirmative respondere tenentur. Cum enim per vulnerationem animal iam sit acquisitum, eoque ipso in dominium vulnerantis redactum, sequi sane debet, sequelam, vi dominii in bestiam vulneratam, locum habere debere. Sed haec philosophia mihi non placet, quamvis eam fouere videatur GVNDLINGIVS ^{y)}. Id quidem non nego, occupationem ferae per vulnerationem, tum esse finitam et absolutam, si illa cum internecione animalis statim coniuncta est ^{z)}, v. c. lepus et vulpes post explosionem sclopeti statim cadunt, et irruunt quasi per aliquot passus in fundum alterius; tunc enim in talem statum redacti videntur, in quo venator pro lubitu de iis disponere potest, nec aliquid accidere potest, quo minus capiantur. Sed si vulnerationem mors in momento non sequitur, v. c. fera adhuc currit seu volat, tunc dici non potest, illam iam esse acquisitam. Voluntatem enim seu propositum agendi, distinguere debemus a fine, et eius consecutione. Voluntas itaque seu conatus occupandi feram bestiam, sunt diuersa ab illius occupatione, tanquam fine. Vulneratio ferarum est medium adhiberi solitum et necessarium, ad earum capionem, quae finis est. Cum ergo finis et eius consecutio a mediis eorumque rursu differant, vulneratio ferarum diuersa sit a capione ipsa, necesse est ^{a)}. Quibus rebus ita comparatis, solam vulnerationem ad occupationem ferae sufficere non credo. Sed an

^{x)} In L. 5. §. 1. ff. de acqv. rer. dom.

^{y)} In iure nat. pag. 183.

^{z)} Cf. PUFENDORF in iure Nat. et gent., lib. 4. cap. 16. §. 10.

^{a)} Cf. KÜHLER in iure nat. §. 1513.

per eam fundetur sequela venatoria, id vnicē hoc loco est
in quaestione. Et si dicendum quod res est, equidem id
statuendum esse arbitror, si modo ex circumstantiis appa-
reat, animal ferum in intestinis (i. e. *Weidewund*) seu ita
vulneratum esse, vt in libertate naturali diutius durare non
possit, v. c. pes fractus est, seu effusio sanguinis (*Schweiß*)
tanta est, vt mortem (*Verendung*) necessario sequi oporteat.
Pari modo et illud factum sufficiens est quod sequelam
operator, quale nobis refert KREBS b) ex protocollo aliquo
Hassiaco feqq. verbis: *Die Herren von Riedesel, wo sie an die Hessische Wildbahn flossen, haben Ihre Wälder mit Wildhecken umgeben; weil aber in solchen Wildhecken an verschiedenen Orten offene spatia sind, und in solchen Hecken unterschiedliche kleine Pforten, wodurch das Wild seinen Ab- und Zugang hat, so müssen die von Riedesel, wenn sie jagen wollen, solche offene spatia mit Wildgarn, und die kleinen Pforten mit Garnstücken, an welchen ein Seil, daran ein starker Prügel überzwerch gebunden, zustellen. Wenn nun in dieselben Garnstücke etwas einliese, und damit auf Hessischen Grund und Boden durchbräche, blieben ihm die Garnstücke am Halse und den Vorderbeinen henken, und der Prügel folgte am Seile immer hinter her, bis er durch den Prügel in den Hecken oder zwischen den Bäumen gehemmnet würde, da dann derjenige so auf die Pforten bestellet, nachfolgte, und das gehemmte Thier also in dem Seil oder Garnstück auf Hessischem Grund und Boden stenge, und dies sey und heiße die Folge.* — „

§. 7.

b) In tract. de ligno et lapide, part. I. class. 2. sect. 8. §. 21.
STISSER l. c. cap. 7. §. 47.

S. 7.

Aequitas et utilitas publica suadent sequelam venatoriam.

Dispositionem iuris nat. vi cuius sequele causa, fundum alterius, inuitu domino, ingredi licet, utilitati publicae conuenire, recte assertit HOMMELIVS c) sequentibus verbis: *Sed et utilitas publica suadet, ut flatuamus, venatorem feram ita vulneratum, ut sanguinem emittat, posse prosequi. Nam si prosequi non liceat, bestia lethaliter vulnerata, in agros vicinos evagetur, et in salicis se abscondens cadet, et putredine corrumpetur, sine ullo generis humani emolumento.* Pari modo conuenientiam dictae dispositionis cum aequitate naturali docet THESMARVS d) breuibus quidem sed ponderosis verbis: *et sane inhumanum est, venatori præripere fructus laborum, et praescindere spem iustam.*

S. 8.

Quid iure romano iustum circa sequelam venatoriam?

Quod de fundamento sequelae venatoria ex iure nat. hucusque differui, id constitutis deinde ciuitatibus, legibus positivis romanis et germanicis, aliisque e) tam expresse, quam tacite, agnatum atque confirmatum deprehendimus.

Quod

c) In Rhaps. obs. 68.

d) Ad GROTIUM de iure B. et P. I. c. — adde Quintil. declam. XIII.

e) De Gallia id testatur Renatus Choppinus de legib. Andegav. Lib. I. cap. 32. nr. 7.

Quod primo ius romanum attinet, de quo prius agendum esse puto, quia in defectu aliarum determinationum id sequi necessario nos oportet, probe quidem scio, legem aliquam expressam et specialem in illo non reperiri, qua de persecutione ferae occupari tantum coptae, in fundum alienum, *directo* aliquid sit dispositum; hoc tamen non obstante legibus romanis ius naturae, quoad hunc passum tacite agnitus esse, et sequelam ex iis deduci atque defendi posse arbitror. Scilicet Romani, feras bestias in quoconque loco latitantes, pro rebus nullus habent, nec ius aliquod proprium, domino fundi competens in illas statuunt, sed illas cuique occupare permittunt, non tantum in suo, sed et in alieno fundo. At Ictus GAIUS. f)
, Omnia animalia quae terrae, mari, coelo capiuntur, id est ferae bestiae et volucres, capientium sunt. Et idem ille alibi g): *quod nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.* Nec interest quod ad feras bestias et volucres, utrum in suo fundo quisque capiat an in alieno. Quae omnia iisdem fere verbis deinde repetit atque confirmavit IVSTINIANVS IMPERATOR h). Nec obstat quod Imp. HONORIVS et THEODOSIVS i) leones tantum occidere permittant, tanquam animalia generi humano noxia atque perniciosa. Ex qua constitutione nonnulli falso inferunt, ius venandi, alias liberum ciuibus Romanis, aliquando fuisse ademtum. Sed iam

f) In L. I. §. I. ff. de acquir. rer. dom.

g) In L. 3. pr. et §. I. eod.

h) In §. 12. Inst. de rer. diuis.

i) In L. vn. C. de Venat. ferar.

iam sedes cit. Tit. Cod. sat est indicio, in illo tantum agi de illa venationis specie, quae iudicra et theatralis vocari consuevit. Scilicet Praefecti, Duces, et Officiales, qui rem militarem in prouinciis curabant, prouincialibus suis leonum occisione ideo interdixerant, quod ipsorum muneris esse credebant, capere leones, eosque spectaculorum causa ad imperatoriam sedem transferre. Dicti Imp. autem aliter volunt, et prouincialibus facultatem leones interficiendi haud esse denegandam, statuunt; hac potissimum ratione permoti, quod salus subditorum praferenda sit voluptati Imperantium *k*). Quibus rebus ita comparatis, inconcussa stat assertio mea, iure videlicet romano, venationem cuicunque et in quoconque loco licuisse. Ratio liberalitatis in illo principio jurisprudentiae legislatoriae ponenda videtur, quod in legibus ferendis indoles gentium potissimum spectari debeat. Ponebant enim Romani venationes in deliciis suis, vti id passim testantur scriptores rerum Romanarum; quo pertinent HORATIVS *l*) et VIRGILIVS *m*), quibus et addi potest COLVMELLA *n*), nec vla alia re magis delectabantur, quam libertatis imagine; hinc et tot leges conditas ingenio Romanorum aptas deprehendimus *o*). Aliam rationem eamque sat grauem adducit CICERO *p*) sequentibus verbis: *iam vero immanes et feras belluas* nancisci-

k) Cf. GOTHOFREDVS ad L. I. C. Theod. de Venat. Ferar.

l) Lib. I. Epist. 18. v. 49. Idem Lib. 3. carm. od. 24. v. 54. sedq.

m) Lib. 7. aenid. v. 478-496.

n) Lib. I. de re rustica.

o) Cf. RIVINVIS in Diff. de iure venandi in alieno fundo §. 8.

p) In Tract. de natura Deorum. Lib. 2. cap. 64. cui etiam adstipulatur PLINIVS in Panegyr. Traj. cap. 82.

nancisimur venando, ut et vescamur iis, et exerceamur in venando, ad similitudinem bellicae disciplinae. Cum igitur venationis adeo causa, fundum alienum ingredi licuerit, multo magis id licuisse statuendum est persecutionis ferae vulneratae gratia. Et quamvis secundum veram mentem legumi Romanarum, actus occupationis, qui in quoconque fundo fieri potest, distingui debeat ab ipso actu ingressione, cuius prohibendi ius est penes dominum fundi, vti ex eo, quod Imp. IVSTINIANVS c. l. addit, videre est, quo eum qui venandi causa alienum fundum ingreditur, a Domino, si id prouiderit, posse prohiberi, traditur q), ita vt posthabita prohibitione, testante id VLPIANO r) domino fundi actio iniuriarum competit aduersus ingredientem; tamen illa prohibitio tantum de eo casu est intelligenda, quo quis eo animo alienum fundum ingreditur, vt bestias ibi latitantes et nondum occupari coepfas, excitet, easque interueniente occupatione suas faciat, ideoque cit. leges non eo proferri possunt, vt ad persequendum animal ferum, facto sufficiente occupari iam coeptum, venia domini prius sit impetranda s). Quae cum ita sint, leges romanarum sequelam venatoriam non quidem praecipere, sed tantum permittere, ideoque iuri naturae quod ad hunc passum conuenire, et sequelam quamvis non expresse, tamen tacite agnoscere, optimo iure statuere posse credo.

C 2

§. 9.

q) Cf. etiam L. 16. ff. de serv. praed. rust.

r) L. 13. §. 1. et vlt. ff. de iniuriis.

s) Cf. PVENDORFIVS in obsf., Tom. 3. obsf. 192.

§. 9.

*An Dominus fundi animal occupari coeptum, iure
romano praeoccupare possit?*

In exercitio iuris sequelae saepius accidere solet, ut dominus fundi, in quo sit persecutio, et is, qui animal vulnerauit, illudque persequitur, sibi inuicem occurrant; in quo conflitu quaestione mouent, an dominus fundi feram bestiam ab alio iam occupari coeptam, praeoccupare possit, nec ne? Affirmant hanc quaestionem LEYSERVS ^{t)}; suamque sententiam in decisione GAI ^{u)} fundat, quam et Imperator IVSTINIANVS ^{v)} confirmauit. Ait nempe ICTUS GAIUS l. c. „illud quaestum est, an fera bestia, quae ita vulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur. Trebatio placuit statim nostram esse, et eo usque nostram videri, donec eam persequamur, quodsi desierimus eam persequi, desinere nostram esse, et rursus fieri occupantis. Itaque si per hoc tempus, quo eam persequimur, aliis eam ceperit eo animo, ut ipsi lucri faceret; furtum videri eum commisso. Plerique non aliter putauerunt, eam nostram esse, quam si eam ceperimus, quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus: QVOD VERIVS EST. Sed ex his legis verbis, si quid video, id tantum sequi mihi videtur. animal occupari coeptum, nondum in domino persequentis existere, et hinc actuali apprehensione adhuc opus esse. Facultatis illud praeoccupandi, nullibi fit mentio, ex quo inferre

^{t)} In medit. ad. ff. sp. 441. med. II. BERGER in Resolut. Lauterb. pag. 700.

^{u)} In L. 5. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.

^{v)} In §. 13. Inst. de rer. divisi.

ferre licebit, etiam quoad hunc passum, leges romanæ ius naturæ agnoscere, de quo tamen iam supra differui.

§. 10.

Vestigia sequelae venatoriae in iure germanico antiquo.

Quod hactenus de iustitia et aequitate sequelae venatoriae ex principiis iuris naturae, et ciuilis Romani differui, id moribus et legibus patriis consentaneum, confirmatum et corroboratum deprehendimus. Scilicet veteres *Germani*, quorum omnis vita, testante id *Caesare w)* in venationibus constituit, et auctore *Tacito x)* multum in venatibus transgerunt, a primis statim temporibus, in eo a iure Romano recessisse videntur, vt feras bestias pro rebus accessoriis et pertinentiis praediorum habuerint, ideoque ipsam adeo venationem ceu annexum praediorum aestimandam esse statuerint, vti videre est ex glossa ad *Weichbild y).* "Wenn

„ein jeder das Seine herget, so heeget er auch des das
„in dem Seinen ist, es sey Wild, oder Zahm, das
Wild ist Seyn, dieweil es in seinem Gehege ist.“ Nec
non ex iure Ateniannico cap. 35. §. 7. quo ita cautum:
„Ein jegliches Wild ist eines Mannes mit Recht, die-
, weil es in seiner Gewalt ist, kommt es aber aus seiner
Wildbahn, so ist es nicht seyn.“ Hinc et ii qui di-

C 3

strictum

w) In bello Gallico, lib. 6. cap. 20.

x) De moribus Germ. cap. 15, vbi tamen posterior particula non delenda est, auctore *Lipso.*

y) Art. CXXI. in fine.

strictum alienum venandi causa ingrediebantur, feras ibi captas, non sues faciebant, sed domino fundi illas restituere, et praeterea poenam subire debebant, vti id late probatum dedit PETR. de LVDEWIG 2). Hocce tamen divortio iuris romani et morum Germaniae non obstante, ius persequendi feras excitatas et vulneratas, apud Germanicae originis gentes, iam ante medianam aetatem, in usu fuisse probari potest. Nonnulli quidem interpretes iam in lege Salica a) hocce ius stabilitum esse credunt, et sequentia verba citatae Legis de sequela intelligenda esse tradunt; „Si quis ceruum quem alterius canes mouerunt, aut lassauerunt, „occiderit, aut celauerit, DC. denarii, qui faciunt Solidos XV, „culpabilis iudicetur.” Pari modo et verba legis Longobardorum b) pro fundanda sua intentione allegant: „Si cerauus aut „quaelibet sera ab aliquo homine sagittata fuerit, tam diu illius „esse intelligatur, qui eam sagittauerit, aut vulnerauerit, usque „ad aliam talem horam diei aut noctis, quae sunt horae XXIV, „quando eam postposuerit et se ab ea tornauerit: Nam qui eam „post transactas horas inuenerit, non sit culpabilis, sed sibi ha- „beat ipsam feram.” Sed utraque loca, de iure sequelae proprie sic dictae, non agunt, et commode de illo casu intelligi posse credo, quo plures in uno eodemque districtu venatorio iure venandi gaudent, et vnu ex his belluam feram occupare incipi; quo facto, durante persecutione nec

z) In Diff. de differentiis iuris Romani et Germ. in Veneratione, Dff. 4. nr. 2.

a) Tit. 35. nr. 4.

b) Lib. I. tit. 22. cap. 6.

eras ibi
as resti-
id late
nen di-
obstante,
German-
in vsu
iam in
sequen-
tradunt;
fauerunt,
dos XV.
gobardo-
eruuus aut
diu illius
t, usque
XXIV.
qui eam
sibi ha-
sequelae
illo casu
ne distri-
belluam
secutione
nec

nec reliqui belluam vulneratam praeoccupare possunt c). Sed de eiusmodi persecutioне mihi iam fermo non est, sed de illa cuius notionem supra §. 2. et 3. euoluere studui. Cuius juris vestigia, an in documentis publicis, ante Sec. X. reperiantur, pro certo affirmare non audeo. Antiquissimum enim, quod mihi hactenus innotuit, est illud, quod in concessione, ab Imperatore Ottone Abbatissae Elteni facta continetur apud SCHATENIVM d) cuius verba ita se habent: "Et si ceruus vel cerua effugiat de his forestis, eos in alias „sylvas sequi sit licentia Abbatissae nuntiis." — Saeculo deinde XIII. tempore vtriusque speculi, inter Saxones et Alamannos, sequela venatoria generatim vsu, et consuetudine recepta dici potest. In iure enim Prouinciali Saxonico ita legitur:

"Wer durch diese Bann-Förste einen reitet, sein Bogen „und sein Armbrust soll ungespannt seyn; sein Köcher „soll bedeckt seyn, seine Winde, und Braken sollen uff- „gesangen, seine Hunde gekoppelt seyn. Jagd ein Mann „ein Wild außerhalb des Forstes, und folgen ihm die „Hunde in den Forst, er mag wohl nachfolgen, also „daß er nicht blaſe noch die Hunde grüße. Und miß- „thut dran nicht ob er das Wild auch gleich in den „Forst fähet, seine Hunde mag er wohl wiederrufen." Et

e) Cf. STRUBEN in rechtlichen Bedenken, Tom. 2. obf. 140. Adde Radeicuum de rebus gestis Friderici Primi Imperatoris, lib. I. cap. 26. "Si quis lancea vel gladio feram percusserit, et ante- „quam manu leuauerit, alter occupauerit, nec occupantis erit: „sed qui occiderit eam, fine contradictione obtinebit."

d) In Annibus Paderbornensis, pag. 344

e) Lib. 2. art. 61.

Et in iure Prouinciali Alemannico f) ita legimus:

„*Ißt, daß ein Mann ein Wild jaget und kommt es von ihm unversehrt, es ist aber so müd, daß es nie der fällt, und nicht fürbaß mag, und kommt es aus seinen Augen, daß er sein nicht sieht, wer er darnach findet oder fährt, des ist er mit Recht. Und also ob er sich es hat erlassen, dieweil er es sucht, so ist es seyn. Wer es unter der Zeit findet, der soll es ihm wieder geben es sey todts oder lebendig.*“

§. III.

Quid iure Germanico nouiori iustum sit circa sequelam venatoriam?

Sed vtriusque speculi, tam Saxonici quam Sueuici auctoritas, licet illam ad sec. XIV. et XV. vsque permagnam in Germania fuisse constat g), tunc demum hodie alicuius momenti est, si scilicet usum et obseruantiam illorum probare possumus h). Etenim, superioritate territoriali, seculis circiter XIII. et XIV. firmiter iam stabilita, noua quasi totius Germaniae facies existere incepit, qua simul et memoria

f) Cap. 350. §. 8. *Adde Schannat in der Sammlung alter historischer Schriften und Documenten*, pag. 319., ubi citata verba paulo alteri posita leguntur.

g) Cf. *virum generofissimum de SELCHOW in der Geschichte der in Teutschland geltenden Rechte*, §. 295. ibique scriptt. cit.

h) Cf. BRUNNOVELL in *historia juris*, Part. 4. cap. 6. §. 15. Abrogationem iuris Sax. in terris Brunsvoico-Luneburg. probauit CHR. LVD. SCHEID in *spec. Progr.*, Götting. 1738.

speculorum paulatim et pedetentim deleta est atque exoleuit. Et hinc citata loca speculorum antiquitatis tantummodo caufa allegari, in aprico est. Hoc tamen non obstante, illa consuetudo, vi cuius feras occupari coepitas in fundum alienum persequi licet, ita inueterata semper vifa est, vt de loco suo haud moueri potuerit: quae consuetudo, quamvis illam lege aliqua expressa vniuersali, per totam Germaniam obtinente, confirmatam non deprehendamus; tamen in multis ordinacionibus Prouincialibus *i)* corroborata, et de nouo quasi praefcripta, passim iam nunc apparet. In aliis territoriis res silentio est praetermissa, quo ipso iura communia, tam Germanicum, quam ciuile Romanum, tacite approbata videntur. Quae cum ita sint, in quaefitione, quid secundum ius Germanicum nouum et hodiernum iustum sit circa sequelam venatoria, distinguendum esse puto: aut consuetudine et lege aliqua Prouinciali, nec non conuentione aliqua speciali, aliquid determinatum deprehendimus -- nec ne. Priori casu decisio est in manifesto. Posteriore autem h. e. in casu defectus consuetudinis, pacti, et legis Prouincialis, ius naturae, et ciuile Romanum decidunt; nec sequela venatoria inter peccata venatorum connumerari potest *k).* Iam igitur in hisce terris Brunswico-Lunenburgicis,

nec

i) Quarum nonnullas vide apud AHASV. FRITSCHIVM in Corp. iur. Venat., Part. 3, nec non apud STISSLERVM in der Forſt- und Jagd-Historie der Teutſchen, cap. 7. §. 41. et 42. Erronea ergo eft doctrina SCHNEIDEWINI ad §. 12. Inst. de rer. div., quem tamen refellunt WEHNER in obs. præf. voce Forſtrecht, item SECKENDORF im Fürſten-Staat, Part. 3. cap. 3. reg. 5. nr. 6.

k) Cf. AHASV. FRITSCHIVS in venatore peccante, concl. 13. in eiusdem corpore iuris Venat., Part. 3. pag. 436.

nec lex aliqua specialis, nec consuetudo vniuersalis probari possunt, quibus abrogatio iuris communis contineatur; illam in casu dubio locum sibi vindicare, iure statuere posse credo. Haec mea assertio, et decisione summi Tribunalis quod floret *Cellae*, corroboratur, quam exhibet PFEFFERFRIEDS ¹⁾ fequentibus verbis: „Alldie weilen es nicht allein in denen gemeinen beschriebenen Rechten erlaubt, ein auf eigenem Grund und Boden angeschossenes oder sonst verwundetes Wild in des Nachbarn Jagd-Bezirke zu verfolgen, sondern auch solches in den mehrsten Orten in Teutschland hergebracht ist, und des ein gleicher auch im Calenbergischen und Göttingischen stattnehmig sey; — solchem nach dannenhero übel gesprochen, wohl appelliret, und sententia a quo dahin zu reformiren, daß Beklagter und Appellant der Jagdsfolge in Unseren Wildbahnen sich zu enthalten, oder daß solche nach Landes-Gebrauch — zu stehē, zu erwiesen, nicht schuldig, sondern das angeschossene und übergetretene Wild, jedoch nach vorgängiger Anmeldung dessen an Unserer nächstwohnende Forst-Bedienten, und mittelst Obachtung dessen, was dabej bisher gebräuchlich gewesen, in Unsern Wildbahnen zu verfolgen, und darin zu schießen oder auf andere Weise zu fangen, und daraus wegzunehmen wohl besugt sey.

§. 12.

An feras occupari iam coepitas, in territorium quod plane alterius principis est, persequi liceat?

Leges romanae, quas supra §. 8. iam allegauit, et ex quibus aequitatem et iustitiam persecutionis ferarum defendi posse

¹⁾ In obs. Tom. 3. obs. 192.

posse dixi, subditos vnius eiusdemque imperii supponere videntur, videoque de sequela venatoria, quatenus in uno eodemque territorio et imperio exercetur, intelligi tantum possunt. Quod iudicium etiam de utriusque speculi locis, supracitatis, ferendum est, quatenus de vetere illa consuetudine, saepius iam laudata, referunt. Superioritas enim territorialis, quae omnia iura imperii ciuilis sub se comprehendit, non est eius naturae et indolis, ut inuito subiecto cui cohaeret in territorio illius extrinsecus aliquid suscipere possumus, quod vergere potest in praiejudicium. Quid! quod fines territoriales semper ita sancti visi sint, ut quaelibet transgressio pro violatione illorum habeatur. Quibus rebus ita comparatis, cum videlicet, nec leges romanae nec germ. antiquae applicationem patientur, in illo casu, quo ferae bestiae in aliud plane territorium aufugiunt, nec sequelam venatoriam in illo exerceri posse, vix est dubitandum. Accedente tamen noua causa et titulo speciali utique contrarium statuere debemus, quo refero concessionem specialem, pacta, et praeescriptionem m).

S. 13.

De tempore et modo persequendi feras occupari iam coepias.

Ius sequelae venatoriae tantum iis temporibus exercere possumus quibus venari nobis licet. Tempore ergo clauso

m) Cf. RAYS IN DIFF. IAM CIT., quippe qui hanc quaestionem latius tractat, quem hic exscribere nolo.

clauso (*zur Setzzeit*) nec non diebus feriatis, ipsa adeo venatio interdicta est, multo magis et exercitum sequelae, ceu annexum iuris venandi, dictis temporibus prohibitum esse debet. Quod autem modum huius iuris exerceandi attinet, ille varius cogitari potest, et plerumque ab obseruantia et consuetudine dependet. Sic in plerisque locis Germ. vbi conventione et lege speciali persecutio ferarum expresse sublata non est, sequens modus consuetudine determinatus attenditur:

i) Signum aliquod v. c. pileum, vel ramum ex arbore decerpsum, aliud symbolum in testimonium rei ponere solent, in illo loco, quo fera occupari copta est; quod vocant venatores *auf den Anschuß einen Bruch legen, verreisern n.* Quo facto 2) proximo saltuario i. e. *dem naechsten Forstbiedenden* factum occupationis inchoatiuum legitime denunciari debet o); quo ipso venatio clancularia, quam saepe nomine persecutionis exercere solent, simul praecauetur. Quae omnia 3) fieri debent confessim et e vestigio uno cursu continuo et non intermisso p). Vbi autem lege et obseruatia nihil determinatum est, ideoque in

n) Cf. IOD. BECK de iurisd. forestali, cap. 13, §. 4.

o) Cf. PUFENDORFVS in decisione iam citata.

p) RAYS l. c. §. 19. DÖBEL in der Jäger - Præctica, part. 3. pag. 100. Exceptionem vide in der Baierischen Jagd- und Forst-Ordnung, cap. 3, in qua persecutio adhuc permittitur secundo et tertio die — lure Sax. comm. illa sequela permitta est, quæ fit sine explosione sclopeti, sine incitatione canum, et sine inflatu corniculi. L. R. Lib. 2. art. 61. RICHTER in dec. 16. nro. 4. Ine Sax. elect. nec ista feram persequendi licentia venantibus competit, propter ord. prov. d. a. 1555. tit. daß keiner auf des andern Grund und Boden etc.

in casu dubio, exercitium iuris sequelae ita competere oportet, ut effectum habere queat. Est enim species feruitatis, hinc omnia ea fieri possunt et debent, sine quibus ius ipsum non prodesset. Ex quo inferendum esse censeo, in persecutione ferarum vulneratarum, etiam illum canem veneratorium adhiberi posse, quem vocant *den Schweifshund*. Is enim in eo praeципue praefstat utilitatem, ut persecutio eo citius finiatur: hinc nec domino venationis, in cuius districtu fit persecutio, ius competit, dictum canem interficiendi, et capiendo, *aufkoppeln*; id enim turbationem iuris inuolueret, et legitimis remediiis propterea agi potest. Et quia etiam iste canis, hunc in finem solitus (*geloest*) facile deerrare potest, nec talis naturae esse solet, ut ad solum clamorem venatoris, quem saepius propter distantiam locorum ne quidem exaudire valet, redeat, etiam usus corniculi venatorii (*des halben Mondes*) sua utilitate se commendat, quinimmo si noua explosio sclopeti seu bombardae, necessaria videatur, etiam illa fieri potest in fundo alieno, ceu id ipse testatur PVFENDORFIUS in decisione supra iam allegata.

§. 14.

De remediiis iuris sequelae nomine competentibus.

Saepius fieri solet, ut is, qui feram occupari coeptam factu iam persequitur, in exercitio iuris competentis vel turbetur, vel impediatur, ita, ut a persecutione vel penitus desistere, vel eam saltim non sine altercatione, conuiciis, aliisque id genus incommodis, continuare possit. Huius malo remedia opus esse videmus. Et si is, qui ab exercitio E iuris

iuris sequelae arcetur, vel in illo impeditur, in possessione vel quasi illius actu adhuc constituitur, non est dubitandum, quin priuata auctoritate se in illa defendere atque tueri possit q). Quod si autem vim vi repellere ipsi expedire non videatur, remedii judicialibus vti licet, et quidem iis ipsis, quae in materia seruitutum adhibere solemus. Scilicet tam *petitorie* agere potest, quam possessoriis remedii ius suum coram iudice legitime persequi. Si possessionis nomine agit, et quidem pro ea *retinenda*, illo remedio vtitur, quod iure pontificio introductum, et sub nomine remedii spoliī venire solet. Quodsi autem de quasi possessione iuris sui deiectus non est, sed in illa tantum turbatur, vtili interdicto vti possidetis r), tam processu ordinario quam summario seu summarissimo experiri potest s). Si tandem remedium petitorium, quo ius ipsum persequatur, ipsi vtilius videatur, *ad ius confessoria*, ad ius sequelae venatoriae contra negantem, turbantem, et qualemcumque impedientem, vindicandum ipsi competit.

Haec fere sunt, quae pro modulo virium mearum de sequela venatoria differere potui. Ceterum nec Lectorem benevolum

q) Cf. L. 1. C. vnde vi. L. 3. §. 9. L. 17. ff. de vi et vi armata.

r) L. fin. ff. vti possidetis.

s) Controversum est inter Doctores, an etiam *summariissimum* pri-
vato competit contra Principem. Quod vtique statuendum esse
videtur, quis eadem ratio huius remedii subest, si cum Principe
eiusque officialibus, Principis nomine agentibus, litigamus, quam
si nobis lis est cum priuato. Quae sententia nec legibus destitu-
tur, nec auctoritate ICororum. Cf. L. 7. C. de iure fisci. L. vn.
C. de conduct. et procur. COCCRII in iure controv. de iure fisci,
qu. 2. LYNCKER de resistentia quae fit potestate, §. 25. STRUBEM
in vind. iur. ven., cap. 2. pag. 85. et 218.

neuolum celare volui, in conscriptione huius dissertationis idem illud mihi contigisse, quod Lucio Titio, cuius SCAEVOLA t) meminit, accidisse legimus; sine vlo enim iurisperito hoc qualecunque conscripsi, rationem animi potius et ius naturae fecutus, quam nimiam et miseram diligentiam atque doctrinam. Hinc si minus aliquid legitime, minusue perite dixerо, id pro humanitate sua corrigat atque emendet L. B. Quae pro defensione huius leuidensis opellae dixisse iam sufficient.

t) In L. 88. §. 17. ff. de legat. 2.

Theses.

effessione
ndum,
ri pos-
e non
s ipfs,
et tam
suum
omine
vtitur,
emedii
e iuris
inter-
umario
edium
eatur,
ntem,
m ipsi

m de
n be-
olum
mata.

pr
elle
ncipe
quam
titul
vn
fisci,
BEM



T h e s e s.

A) ad rem venatoriam pertinentes.

Erroea non est paroemja: *Wer darf jagen, der kann hagen.*

Haga denotat virgulti genus vnde sepes sunt. DU
FRESNE in gloss. voce *Haga*.

II.

Ius glandium et saginandi, venationi adnexum non est.

III.

Canes venatorios feras indagantes et illas in fundum vicinum persequentes, dominus fundi vicini, ope scelopeti, aliae ratione interficere non potest, ex iisdem rationibus, ob quas domino fundi columbas aliorum in suo fundo grana legentes, nec capere, nec occidere licet. vid. G. D. STRUBEN im R. B. Tom. 3. Bed. 9.

B) Varii argumenti.

IV.

Iuri reliundi pignus, longissimo tempore praescribitur.

V.

In contractu aestimatorio, dominium non transit in accipientem.

VI.

Iudicia diuisoria sunt iudicia personalia.

VII.

Filius familias exceptioni *Sæti Macedoniani* iurato renuncians, nec sibi praeiudicatur, nec patri.

VIII.

Mulier intercedens, *Sæti Vellei*, haud ignara, ab vsu beneficii sui non excluditur.

IX.

In praescriptione extinctua bona fides non requiritur.

X.


Probatio pro exoneranda conscientia, analogiae iuris admodum conueniens est.


Göttingen, Diss., 1788-89

f



56.





D E

1789,3
12

SEQVELA VENATORIA

V V L G O

I A G D F O L G E

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

S V M M A E I N V T R O Q V E I V R E D I G N I T A T I S

C O N S E Q V E N D A E C A V S A

A. D. XII. M A R T. M D C C L X X X I X

D I S S E R I T

A V C T O R

I O. A N D R E A S N I E P E R

L V N E B V R G E N S I S.

G O T T I N G A E,

T Y P I S I O. C H R I S T. D I E T E R I C H.

Z V T H A I E